

## PRAEFATIO AD CANDIDATOS ET DISCIPULOS

Illud summo est nobis honori et gaudio, quod apud nos per unum paene annum versari studiisque humanioribus operam dare decrevisti. Enimvero, ad vitandas cuiusvis generis confusiones de illis rebus quae apud nos proponuntur et a singulis postulantur, brevi et summis fere labiis ea, quae sunt maximi momenti ad vitam secundum nostrae Academiae normas agendam, his litteris illustrare conabimur. Hoc imprimis humane rogamus omnes nostro Instituto nomen daturus, ut cuncta, quae hisce paginis continentur, attente legant et, praeiudicatis opinionibus funditus eiectis, aequo animo perpendant.

Academiae Vivarii novi conditores et sodales, illud sibi ab initio proposuerunt ut rationes vivendi omnino diversas ab illis, quae vulgo, per recentissima praesertim instrumenta, ostenduntur et apud plerosque habentur in pretio, studiosae iuventuti proponerent. **Haec igitur Academia non est ludus grammaticus neque schola philologa ubi litterae tractentur quasi nullam habeant cum reliqua vita necessitudinem.** Qui vult igitur operam dare Graeco atque Latino sermoni propter solam eruditionem, qui naturae venatores imitatus minutiis grammaticis totum tempus et vires dedicare cupit, ille sciat et pro certo habeat nostras scholas non esse sibi aptas. Qui contra libere humanitatem colere et ex litteris antiquis et recentioribus aliquod emolumentum ad vitam suam comparare studeat, ille apud nos locum accommodatissimum inveniet ad animum exercendum crebris colloquiis et disputationibus cum illis, qui nos in hoc officio antecesserunt, et cum iis quoque, qui nunc temporis in eadem provincia profici conantur.

Ad quae colloquia instituenda, **summi est momenti linguae Latinae usus, qui apud nos perpetuo observari debet** (vide infra *Partem primam, I*). Praeter enim scholas de lingua et litteris Graecorum, ceterae scholae et colloquia cottidiana inter magistros et discipulos, necnon discipulorum inter se loquentium, Latine agitantur. Quae Latine loquendi consuetudo, nullam aliam ob causam instituta est, praeter quam ob discipulorum commodum et incrementum. Emolumentum enim huius Academiae, quod prae ceteris statim apparet, est posse, intra brevissimum temporis spatium, ipsos litterarum fontes adire et ex illis salutifera praecepta haurire, nullis linguarum obstaculis impredientibus. Si quis autem discipulorum linguis vernaculis loquatur, non modo sibi sed aliis quoque condiscipulis detrimentum afferet in sermone Latino adamussim addiscendo. Qui ad nos veniunt, sat firma Latinitatis elementa tenere debent, quod attinet potissimum ad grammaticae atque syntaxeos notiones, necnon ad vocabulorum copiam. Ipsi debent valere suas de rebus, quae tractantur in scholis, opiniones exprimere atque aperire dilucidis, quamvis simplicibus, verbis ac sententiis. Discipuli, qui ad nostram Academiam se conferunt Latinitatis rudimentis non mediocriter imbuti, longe facilius et celerius possunt loquendi scribendique facultatem ad unguem expolire. Ad assequendam autem optatam linguarum peritiam, necesse est vehementi studio eniti et assidue operam dare legendis et relegendis scriptoribus, pensis conscribendis emendandisque.

Hoc praeterea est apertissime significandum, **esse nostram Academiam tamquam parvam rem publicam in qua doctrina provectiores pro virili parte minus eruditos adiuvere conantur.** Saepe igitur discipuli, sive adultiores sive doctiores, sessiunculas quasdam possunt et debent moderari coram iunioribus imprimis et omnibus, quibus opus sit auxilio in scholarum argumentis altius intellegendis. Quae sessiunculae aequo fere pacto tam docentibus quam discentibus prosunt et artiore necessitudine alteris alteros devinciunt. Qui in hac Academia vitam degimus, eo totis viribus tendimus ut secundum Humanistarum, qui dicuntur, vias atque rationes rationes, artibus liberalibus pauperes et egenos imprimis, ceterosque omnes, vero erga litteras studio accensos, erudiamus. Saepenumero apud nos versantur discipuli sive humili loco nati sive varii generis angustiis oppressi, aliquando fit ut iuniores inter discipulos parva aut minima sint doctrina praediti, quorum institutio est et semper erit officium nostri Instituti gravissimum.

Ne quae praeterea de hac re falsae exoriantur opiniones, declarandum censemus **nostram Academiam non esse familiam religiosam neque ad ullam religiosam sodalitatem pertinere.** Quamquam enim nonnulli ex professoribus et adiutoribus, qui operam dant in nostro Instituto, fidem Christianam profitentur, solemus tamen libere de rebus ad Christianam et alias quaslibet religiones pertinentibus disputare, ad confirmanda videlicet vera pietatis fundamenta et ad excutiendum ex animis nostris omnem superstitionem et omnem fanaticum errorem, sicut fecerunt semper veri humanitatis et rerum sacrarum cultores.

Ut fortasse iam patet ex rebus supra dictis, non semper facile est seligere discipulos. Qui ad nostram scholam admittuntur, gratuito hospitio accipiuntur, cibo aluntur, doctrina erudiuntur. Sumptus omnes huius rei domus editoriae pecunia et amicorum fautorumque largitionibus tolerantur. Prima lex apud nos est: *pauperiores ante ceteros*. Secunda vero: *doctiores et bene morati ceteris praeferantur*. Academia nostra, pro dolor, non habet certam pecuniae summam ad singulos annos, quae est causa cur numerus etiam discipulorum, quos admittere possimus, pro nostris facultatibus, quotannis mutetur. **Non igitur omnes, qui hoc postulant, statim accipi possunt, sed malumus modum servare ne ipsi discipuli debeant impensa tolerare.**

Nulla est apud nos scheda qua nomen detur. Humane igitur rogamus ut per litteras verba facias de te et de tua institutione, praesertim de operibus Graecis et Latinis quae hactenus perlegisti. Neque praetermittenda sunt consilia tua ad tempus futurum tam de studiis perficiendis quam de opere faciendo. Attente, amabimus, illa lege, quae proximis paginis continentur et quam rectissime vale.

## PARS PRIMA: REGULAE FUNDAMENTALES

Omnes et singulos bona pace commonefacere velimus quae sint huius Academiae normae statutae:

I.

LINGVAE LATINAE USUS COTTIDIANUS ET PERPETUUS EST OMNINO SERVANDUS

II.

NON ADMITTUNTUR POTIONES INEBRIANTES, QUAE LIBET MEDICAMINA  
STUPEFACTIVA, FISTULAE ET BACILLI NICOTIANI.

III.

NULLO MODO ADMITTUNTUR OBSCENA (NEQUE VERBA IN COLLOQUIIS, IN  
SPECTACULIS, IN SCRIPTIS, NEQUE ALIA ULLIUS GENERIS).

IV.

MODI MUSICI CLASSICI TANTUM COLUNTUR.

V.

ADMONEMUS OMNES IUVENES NOBISCUM CONVERSANTES NE EORUM MORE, QUI  
NON PROFICERE SED CONSPICI CUPIUNT, FACIANT ALIQUA, QUAE IN HABITU AUT  
GENERE VITAE NOTABILIA SINT (Vide infra *Partem alteram*, §1 et 9).

VI.

SERVANDAE SUNT NORMAE HYGIENICAE, QUAE DICUNTUR (Vide infra *Partem tertiam*)  
ET LEGES BIBLIOTHECAE (Vide *Partem quartam*).

VII.

SUNT QUAEDAM HORAE STATUTAE SERVANDAE (IENTACULI, PRANDII, CENAE;  
NECNON, UT PATET, SCHOLARUM ATQUE DOMESTICORUM MUNERUM).

VIII.

NOCTU POST HORAM UNDECIMAM, SILENTIUM OBSERVANDUM EST IN  
ANDRONIBUS ET IN CUBICULIS NE ALIORUM SOMNUM TURBEMUS. COLLOQUIA, SI  
QUAE SUNT NOCTU HABENDA, FIANE IN BIBLIOTHECA VEL ALIO IN SECESSU.

IX.

SUADEMUS VEHEMENTER DISCIPULIS UT PRUDENTER TEMPORE UTANTUR, UT  
STUDIA PRAE CETERIS REBUS COLANT, NEQUE OMNES VIRES COLLOCENT IN VANIS  
OBLECTAMENTIS.

Quae normae non ita intellegendae sunt, quasi in Academiae interioribus aedibus sint observandae, ubi vero pedem extra aedes extulerimus possint negligi. Absurdum enim sit intra domus parietes, ut ex multis unum proponam exemplum, abstinere a proferendis obscenis verbis, in hortis vero sive in Urbe turpissima quaeque praetextataque vocabula differre. Absurdum sit domi abstinere ab audiendis modis musicis effrenatis, qui nunc in more sunt, in Urbe vero frequentare circulos nocturnos, ubi tales modi diffundantur. Si quis hoc faceret, speciem tantum observantiae praeberet, non veram observantiam: neque simulatum quicquam potest esse diuturnum, ut ait Cicero, neque dignum est bonis et probis viris, virtutem omni nisu ac cupide appetentibus. Ratio praeterea habenda est non modo omnium minorum natu et simpliciorum qui nobiscum vel apud nos vivunt, verum etiam eorum qui circa nos habitant, quorum oculi sunt in hanc Academiam conversi; neque

eorum iudicium fugere aut flocci non facere licet nobis, si quidem volumus hoc Institutum et incepta nostra non modo supersint, sed etiam in dies augeantur et crescant. Primum igitur quod iustum et rectum est, tum praecavendi ac providendi causa, denique quia in tota vita nostra plerumque non licet, ceteris neglectis et praeterhabitis de nobis tantum curare, omnes, qui in Academia versantur, humane rogamus ut illas paucas simplicissimasque normas religiose observent.

Facile intellegimus iis normis exigi ut iacturam faciamus non sine aliquo incommodo consuetudinum quarumdam, quas fortasse iampridem inivimus, quasque haudquaquam facile est subito deponere. Quod incommodum nonnumquam nobis quoque ipsis contigit ut experiremur. At etiam novimus integros viros nullatenus impotentes affectibusque inservientes, neque animi motibus illecebrisque obnoxios nullis difficultatibus superari. Confidimus igitur omnes posse nobiscum consociari, ut omnia maxima concordia prosperrime crescant.

## PARS ALTERA: VITAE COMMUNIS ET SCHOLARUM NORMAE

### §1. DE ACADEMIAE FUNDAMENTIS

Haec nostra Academia est imprimis familia litteras et humanitatem colentium, qui maxima libertate usi tempus et vires omnes non privatis suis commodis sed cunctae societatis bono dedicare nullo non tempore student. Cuius societatis prima apud nos species, propter arctam consuetudinem et diutinum convictum, est ipsa Academicorum familia, cuius regulae debeant commercia nostra moderari per quod tempus concedatur una habitare unaque litteris studere. **Inter quas regulas, principem locum occupant humanitas, amicitia, omnium erga omnes caritas et benevolentia.** Humanitatis cultorum est imprimis conformare animum ad ea quae sunt reapse pulchra et vera, bona et iusta, neque, neglecta discernendi facultate, illis sese aptare, quae multorum vel potentiorum iudicio probantur. Hoc imprimis quaerendum est semper et ubique, ut pro modulo, singulis hominibus ad veram humanitatem informandis, nostram societatem ad meliora provehamus.

**Nullae apud nos leges vel consuetudines sanciantur, ante quam claro rationis et diligentis veri perquisitionis lumine collustrentur.** Quae in litteris, in musicis modis et in ceteris humani cultus partibus vulgi assensu gaudent et populari approbatione bona iudicantur, non tam statim accipienda quam attente perscrutanda censemus. Verum enimvero, in disciplinis colendis, in consiliis ineundis, in omnibus denique rebus ad vitam nostram pertinentibus, multorum opinio et mores vulgatissimi nullam habent per se veritatis vim nisi antea fuerint mente atque iudicio examinata, antiquorum sapientia collustrata, ad sensus communis obrussam exacta et comprobata.

Rectissime quidem Augustinus officium nostrum his fere verbis declaravit: “*nos sumus tempora, quales sumus talia sunt tempora*”. **Omnium igitur rerum convenientia atque consensus, animorum concordia, singulorum aequanimitas et temperantia sunt et debent esse summa apud nos praecepta.** Plurima autem ex illis, quae in habitu et vestitu, in arte musica et in omne genus spectaculis et oblectamentis vulgatissima sunt, non modo non congruunt cum nostrae Academiae rationibus et consuetudinibus, sed saepissime sunt omnino illis contraria; quibus igitur popularibus opinionibus obsistere at adversari conamur. Haec Academia occasionem praebet discipulis vitam diversam agendi, in qua homines, quantum fieri potest, popularis vis expertes mores et opiniones vulgares sine ira et studio investigent et excutiant.

### §2. DE SCHOLIS ADEUNDIS

**Discipuli debent omnes scholas horis statutis frequentare,** quae scholae in primo nostri curriculi ordine proponuntur, et illas quoque, quae ceteris adiciuntur ad confirmandam linguarum notitiam, ubi opus fuerit. Scholae primi ordinis a die Lunae ad diem Saturni tempore postmeridiano singulis hebdomadibus, per totum annum academicum, habentur, exceptis festos dies, qui in nostro Calendario significantur. Tantummodo propter graviorem morbum aut mortem alicuius affinis discipuli abesse sinentur. Si quid autem in scholis difficilius intellectu videatur, ipsi professores imprimis sunt adeundi et interrogandi, qui libenter difficultates persolvere conabuntur. Discipuli quoque doctrina provectiores poterunt auxilium hac in re praebere sessionibus ordinandis de argumentis quibusdam. Non licet discipulis, pro suo tantum arbitrio, scholas quasdam praetermittere et novum quasi curriculum sibi fingere, sed eniti debent ut cuncta, quae ab ipsis postulantur, bene ac rite persolvant.

### §3. DE ACADEMICIS MUNERIBUS

Primum discipulorum officium est studia colere et scholarum pensa conscribere. **Otium igitur matutinum dicandum est praelectionibus repetendis, progymnasmatis pensisque conficiendis quae a singulis professoribus postulentur.** Pericula statis temporibus instituentur ad comprobandos singulorum progressus. Quae omnia sunt temperi et ritu perficienda ab illis qui profici in studiis et aliquando laborum fructum carpere volunt.

#### §4. DE PROGYMNASMATIS QUAE SCHOLIS ADICIUNTUR

Seminaria de variis argumentis, canendi exercitationes et musici concentus, dramata in scaenam producenda, disputationes et colloquia quae apud nos fiunt, non mera animi oblectamenta sed utilissima ad roborandam doctrinam et linguarum peritiam instrumenta sunt habenda. Quapropter, non licet sese omnino abdicare ab illis exercitiis. **Discipuli igitur debent quaedam illorum inceptorum assidue participare, prout animus et studia uniuscuiusque ferant.**

#### §5. DE CONVICTU SEU CONVIVIO

Omnium societatum fundamentum est tempus, quod homines una degunt colloquentes et de rebus variis disputantes. In nostra Academia, praeter tempus scholis dicatum, quater in die licet omnium conspectu et consuetudine frui: inter ientaculum, scilicet, prandium, merendam et cenam. **Quibus horis temperi est ad triclinium perveniendum ne quis in solitudine et alienis horis, tamquam in popina vel deversorio, cibum sumat indeque ad cubiculi secessum denuo revertatur.**

#### §6. DE DOMESTICIS MUNERIBUS

Cum omnes huius Academiae sodales aequis beneficiis fruuntur, pariter quoque aequaliterque munera et officia inter se dispertire debent. **Munera domestica, quamvis humilia et a litterarum cultu aliena, sunt admodum necessaria ad ordinem et munditiam in aedibus servandam.** Discipuli debent dedicare dimidiam aut integram horam, prout rerum condicio postulet, aedibus concinnandis, vestibus mundandis, libris in bibliotheca ordinandis et aliis huiusmodi rebus faciendis. Ad quae munera perficienda, greges et vicissitudines instituentur et in albo inscribentur. Praeterea, ut par est humanitatis cultoribus, non tam de commodis privatis quam de bono reliquae societatis saepius cogitandum est. Quapropter, ea omnia, quae ad ordinem servandum non magno incommodo fieri possint, sponte et benevolentiae magis quam legis instinctu fiant oportet.

#### §7. DE USU COMPUTATORIORUM

Computatoriorum et aliorum huiusmodi instrumentorum usus in conclavi scholastico interdictus est. Quamvis enim commodum sit plurima lexica, libros grammaticos et auctorum opera uno in minimo instrumento servare, eaque uno fere pulsabulo presso adire atque consulere, in scholis tamen magistri sunt imprimis audiendi et totus animus argumentis scholarum intendendus, quod quidem difficile fit ubi plurima sunt, quae nos occupent mentemque nostram a schola ipsa avertant. (Siquidem rectissime Seneca "*Distringit*" inquit "*librorum multitudo*", quanto verius hoc dici potest de infinitis paene facultatibus quibus nostris instrumentis frui videmur!) Extra scholas vero vehementer suademus discipulis ut moderate tales machinas adhibeant. Computatoria praecipue ad litterarum investigationes et ad commercium cum parentibus et familiaribus habendum utilissima sunt. Minus tamen convenit ea adhibere pro instrumento ad spectandas fabulas et audiendos modos musicos cottidie et per totum fere tempus. Turpia et obscena spectacula, quae crebro per rete omnium gentium ostenduntur, ut patet, prohibita sunt. Item libros, pelliculas, cantiunculas extra leges depromere et in computatoriis servare interdicitur. **Cavendum semper est ne maximam temporis partem in rebus inanibus collocemus, neve nostris machinis addicti magis inservire illis quam ipsis uti videamur. Ad perficiendam praeterea linguarum litterarumque notitiam, ad colendam veram humanitatem, multo magis confert colloquium cum hominibus qui circa nos versantur et una nobiscum litteris student, quam inane, algidum et vitae expers machinarum studium.**

#### §8. DE TELEPHONO ADHIBENDO

Cum maximo stet in Italia ope telephoni alios homines adire, licebit discipulis eo instrumento uti tantummodo schedis telephonicis, quas ipsi modico pretio in Urbe sibi comparent. Nisi agatur de re gravissima et inopinata, uti telephono Academiae ad colloquia privata non licebit. Suademus autem ut ad loquendum cum familiaribus discipuli adhibeant programmata computatoria quae gratuito suo

munere funguntur (e.g. *Messenger, Skype*). Non tamen abutendum censemus illis instrumentis, quae si extra modum adhibentur, magis nobis officere quam prodesse videntur. **Qui igitur vult re vera novam vivendi rationem experiri et totum se studiis dare, aliquatenus oportet separetur a consuetudinibus quas hactenus habuit, ne mutato caelo eadem cottidie faciat, cum iisdem tantum hominibus, quos in patria novit, commercium habeat.**

#### §9. DE ACADEMIAE FAMA

Nostra Academia multa debet fautoribus qui suis largitionibus nostra incepta fovent. Mores autem, quos in ipsis aedibus et extra Academiae fines ostendimus, magno sunt nostrae institutionis indicio. **Ideoque servanda est mediocritas et temperantia semper et ubique, eademque regulae observandae in excursionibus ad Urbem quam in ipso campo Academiae.** Mediocris quaedam est omnibus hospitibus species nostri praebenda. Non igitur licet apud nos pertundiculis corpus perforare, Threiciis notis cutem deturpare, capillos nimis longos, qui humeros superent, vel omnino rasos gerere, vestibibus dilaniatis et dilaceratis indui, ornamenta nimis conspicua et ad ostentationem facta portare. Cum igitur uniuscuiusque aspectus non parum ad totius Academiae famam conferat, neque asperum cultum neque intonsum aut tonsum omnino caput nec neglegentiorum barbam hospitibus ostendendam censemus; quae omnia plurimi iuvenes magna affectatione colunt, dum curiose student incuriosi videri. De qua re praeclare scripsit Seneca: "*Id agamus ut meliorem vitam sequamur quam vulgus, non ut contrariam*". Habenda est praeterea aliorum hominum ratio perpetua, nam, ut praeclare Plato primum, dein Cicero tradidit, "*non nobis solum nati sumus*", sed ad hominum societatem fovendam et provehendam.

#### §10. DE NECESSARIIS SANCTIONIBUS

Illi, qui, inconsultis Academiae rectoribus, scholas suo arbitrio praetermittere decernat; qui munera tam scholastica quam domestica negligat aut neglegenter et perfunctorie absolvat; qui nullos progressus in linguis et scholarum argumentis perdiscendis faciat; qui denique quolibet modo has regulas et normas semel atque iterum admonitus infringat, veniam manendi denegabitur et postulabitur ab eo ut aedes Academiae relinquat. **Leges enim nostrae factae sunt non ad coercendos captivos sed ad temperanda commercia inter homines liberos. Ille igitur, cui nostrae vivendi rationes minus sibi aptae esse videantur, libere se abstineat a nostro Instituto aut libere ex eo discedat.**